

Februarii^a XXVII. die. Nam puer quidam recenter natus primo quidem parum vite habere videbatur et breviter morte deficere vel, ut dicebatur, totaliter mortuus esse. Igitur mulieres, que illo die presentes^b erant, matri puerpere promiserunt visitare capellam sancti Adalberti, scilicet sue sepulture locum, dummodo puerum considerarent eundem redivivum. Dehinc post horas duas mulieres predictae videntes infantem prescriptum vivere, properavere^c nudipedes et laneis tantundem vestite compleverunt votum suum, laudantes pro puero redivivo Deum vivum pariterque sanctum Adalbertum.

Eodem die XXVII. mensis Februarii^a contigit miraculum prescripto forte non minus. Nam quidam de villa Baccum nominata¹ dictus Theodericus filius Gerardi Wilhelmi XXV circiter annorum, pede claudicans uno nec multorum valens adiuvari consilio vel auxilio, post XXXV ebdomadas et dies sex egritudinis^d anno dieque prescriptis orans in sancti^e Adalberti capella, subito sensit tactum in crure diu premortuo. Qui continuo se videns sanum, suos ibi dereliquit [baculos^f] in sanitatis testimonium. Dicebat autem, quod sepe prius visitans locum predictum, de fonte sancti^g hauriens aquam, repleverat infirmi cruris caligam, sed quociens redierat domum, repperit eandem caligam siccam sicut et alteram.

Das letzte Viertel der ersten Spalte und die zweite Spalte von fol. 212', sowie Blatt 213 sind, wie erwähnt, leer geblieben. Vielleicht hat man noch weitere Wunder eintragen wollen, was dann nicht geschehen ist.

a) 'Frebruarii' Hs. b) 'pñsentes' Hs. c) 'properaue' Hs.
d) Verbessert aus 'egrotud'. e) Verbessert aus 'santi'. f) Von mir ergänzt (am Zeilenende). g) 'santi' Hs.

1) Heute Bakkum, der nördliche Teil der Gemeinde Kastricum im Süden von Egmond; vgl. Witkamp-Sipman a. a. O. S. 52.
